



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 71. Colloquium Francisci I. cum Henrico VIII. prope Ardrecium & Guinas habitum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI
A. C. 1520. colloquium permoveret. Nihilominus Rex hæc Carolo respondit, salva honoris mei, datæque fidei religione a promisso colloquio resilire haud possum, polliceor tamen, quod nulli pacto, quod Cæsareæ Majestati suæ præjudicio esse posset, assensurus sim. Carolus spe sua frustratus, saltem Volseum Cardinalem sibi devincire satagebat, maxima etiam spe eidem facta, se auctoritate sua effecturum, ut mortuo Leone X. ipse summus Pontifex eligeretur; insuper se pacem cum Anglorum Rege novo eoque solemnî foedere firmaturum pollicebatur. His ita promissis Carolus trigesima Maji ex Anglia excessit, iter suum in Flandriam profecturus: Henricus vero Angliæ Rex conscensa navi Caletum contendit, ubi etiam unacum Regina conjugæ suæ die quinta Junii appulsus est.

§. LXXI.

Colloquium Francisci I. cum Henrico VIII. prope Ardrecium & Guinas habitum.

Mem. du Bel-
lai liv. I.
Polyd. Virg.
l. 27. Franciscus I. re comperta quantocius cum tota Curia sua ad Picardiæ fines contendit, atque die septima ejusdem mensis ambo Reges in quodam loco Ardrecium inter & Guinas sito conveniunt. Verum toto congressus tempore nonnisi
genia-

genialia festa, hastiludia, choreæ, om-
nisque generis delectamenta conspicie-
bantur, quibus utriusque Regis Princi-
pes cum ingenti utrinque voluptate inter-
erant, tantaque pompa ac magnificentia
amborum Regum Ministri certatim re-
splendebant, ut hic congressus vulgo
campus panni aurei vocaretur; quamvis
ceteroquin harum voluptatum abundan-
tia seriis occupationibus spacium haud
præriperet.

Sæcul. XVI.
A. C. 1520.

Ergo inter ambos Reges conventum.

- I. Franciscus I. decies centenis aureorum millibus in nupero tractatu promissis, nunc demum penitus persolutis, Henrico VIII. centies mille libras Turonenses pensionis nomine ad dies vitæ numeret.
- II. Si ex lege, qua connubium cum Maria Regis Filia decretum fuit, Delphinus Angliæ solium conscensurus sit, præfata pensio ad Mariam, ejusque hæredes perpetuo jure devolvatur.
- III. Diffidia inter Angliæ & Scotiæ Reges suborta Aloysiæ de Sabaudia, quæ Galliarum Regis mater erat, necnon Eboracensis Cardinalis arbitrio committantur; his ita conclusis ambo Reges pari utrinque animi lætitia secesserunt, Francisco I. Bononiam redeunte.